

## Præcipuæ Sententiæ prio- ris libri.



**C**IRCVLVS meridianus uia est Septentrionis & Austri, æquinoctialis uerò uia Lestis & Oëstis. Reliquæ autem uia quas Hispani rumbos appellant, circuli non sunt, sed exiguis maximorum circulorum segmentis constant in Præfatione.

Quamuis circulus ille uerticalis, quem recta linea Lestis & Oëstis in plano horizontis repræsentat, per puncta ortus & occasus æquinoctialis ueniat: non est tamen ob id ipsum suspicandum, ut qui sub ipso circulo globum terræ marisque circuiuerit, nauigasse dicatur ad Lestem, aut Oëstem.

Quamuis nauis proram in ortum aut occasum æquinoctialem perpetuò dirigamus: fieri tamen non poterit, ut ad ipsa æquinoctialia puncta unquam perueniamus, sed potius eo modo nauigando, circulus quidam describatur æquinoctiali æquidistans.

Quando porrò ea arte nauigamus, per ambitus maximorum circulorum transuehimur, simul & currimus sub æquinoctialis parallelo: diuerticalis tamen quibusdam quæ sensum omnem effugiunt.

Præter æquinoctialem circulum, nullus alius ex æquidistantibus Lestis & Oëstis uia uerè dici potest.

Quanta sit loci latitudo ostenditur, ubi Verticale sydus oritur ad Nordestem, occidit uerò ad Noroëstem.

Qui sub maximo circulo iter fecerit præter meridianum & æquinoctialem, necesse est ut sæpissimè uiarum inclinationes commutet, propter uariam atque inconstantem angulorum situs inequalitatem à nouis meridianis subortam. Aliter enim fieri non poterit, ut directo itinere progrediatur.

Nautæ igitur cum ad eandem mundi partem perpetuò tendunt, simili seruato situ, directas uias percurrere non possunt.

Cur orbis loca perperam posita sint in nautarum planisphærio?

## P R A E C I P V A E S E N T E N T I A E P O- sterioris libri.



**R**ectilineum illud planisphærium, quo nostri nautæ utuntur, tametsi ueram orbis imaginem præbere non possit: arti tamen nauigandi quam ipsi exercent, ualde conueniens est.

Vnum atque eundem Ptolemæum fuisse arbitror, qui utrumque opus Astronomicum nempe & Geographicum composuit.

Eadem ipsa arte, quæ nostri nautæ utuntur, ad inueniendum quanta sit differentia inter meridianos duorum locorum, olim Ptolemæus usus fuit.

Modus ille examinatur quo Ptolemæus usus fuit, ut longitudinis differentiam inueniret inter Coruram & Paluram in pelago Indico.

Quoniam Ptolemæus locorum distantias in quauis inclinatione contrahit ad rectitudinem capiendam, consultius & cautius id facit, quam nostri nautæ. Hi enim spatium, quod nauigando multis ambagibus conficiunt, in rectum producunt.

Adacta ea linea quæ rectum subtendit angulum, necesse est ut in eadem quoque ratione locorum latitudines atque longitudines ultra metam sint extensæ.

Cur nautæ interuallū ab Hispania in Indiam ultra proprias fines producunt?

Modus